

quadragesimo tercio, indictione sexta, pontificatu propter certas causas omisso, hora terciarum vel quasi, in bursa Saxonum dicte alme universitatis studii Lyptzensis, presentibus ibidem honorabilibus viris et dominis Augustino de Kempnitz, sacre theologie professore, Paulo de Hallis, decretorum doctore, Petro Pyrner, Iohanne de Ratispona, Iohanne Bußbach, Iohanne Kumerolo, Iohanne Semeltreter, Iodoco Hogenstein, arcium magistris testibus ad premissa.

Signum notarii.

Et ego Fredericus Radeloff, clericus Havelbergensis dyocesis, publicus sacra imperiali auctoritate notarius, alme universitatis studii Lyptzensis et domini rectoris eiusdem causarum causeque presentis scriba, quia omnibus et singulis premissis dum sic ut premittitur fierent et agentur una cum prenomi-
natis testibus interfui eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, ideoque presens publicum instrumentum propria manu mea subscriptum exinde confeci et in hanc publicam formam de dicti domini rectoris mandato michi desuper facto redeggi, signoque ac nomine et cognomine meis solitis et consuetis una cum rectoratus dicte alme universitatis studii Lyptzensis sigilli appensione consignam, in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum rogatus et requisitus.

Visis per nos et diligenter inspectis, actis, actitatis, habitis et in productis in causa vertenti coram nobis inter Erasmum Roggen (*sic*) et seu eius uxorem legitimam de Lyptzk actorem ex una, et Nicolaum Winter de Lyptzk arcium baccalarium reum de et super non solucione unius sexagene nove cum viginti quinque grossis novis similibus et eorum occasione partibus ex altera, de iurisperitorum concilio et assensu per hanc nostram sententiam sive ordinacionem, quam pro tribunali sedenti ferimus, in hiis scriptis pronunciamus, decernimus et declaramus Nicolaum Winter de Lyptzk, arcium baccalarium, in una sexagena grossorum novorum cum viginti quinque grossis similibus occasione panni vorstad et parcham Erasmo Roggen institori de Lyptzk et seu eius uxori legitime realiter fuisse et esse obligatum tenerique et obligari, ipsumque ad solucionem dicte sexagene novorum grossorum cum viginti quinque grossis similibus compellendum fore et compellimus dictumque Nicolaum Winter in expensis coram nobis propterea legitime factis condemnandum fore et condemnamus, quarum expensarum taxationem nobis imposterum reservamus.

Ita pronunciaui ego Iohannes de Weyden, decanus ecclesie Merseburgensis.
Nicolaus Kreischdorff notarius.

35 Bischof Johann von Merseburg kündigt dem Dietrich von Bucksdorff, Ordinarius der Juristen-facultät an, daß der Propst Burkard von St. Thomas in den Besitz der ihm widerrechtlich entzogenen Stelle bei den Zusammenkünften der Universität wieder einzusetzen sei und daß dem Rektor